



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. An in mutuo licitum sit pactum, ut mutuararius, si tempore statuto non solverit mutuum, teneatur certam pœnam solvere ultra sortem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. IV.

*An ratione periculi, cui mutuum exponitur, licite possit aliquid supra sortem exigi?*

**S**i periculum sit, ne res mutuata pereat, eò quòd vel per maria transferenda sit, vel per vias & itinera periculosa &c. & propterea mutuans aliquid supra sortem exigit, cum contractus usurarius non est, cum in tali casu non tam vi mutui supra sortem accipiatur aliquid, sed propter assecurationem, quam præstat mutuans mutuatario, periculum alienum, rei scilicet mutuatæ, & in dominio mutuatarii jam existentis, perdendæ, in se suscipiens, sicuti enim sine usura potest rei alienæ periculum in se suscipere, & propterea ab eo, in cujus gratiam tale periculum subit, accipere aliquid, cum assecratio talis rei alienæ sit pretio æstimabilis, sic potest etiam pecuniæ v. g. mutui alteri datæ, & in dominium illius translata, assecurationem ex pacto pro pretio aliquo in se suscipere, sine usuræ periculo (quamvis ex sententia probabili juxta c. *Naviganti* 19. & ult. h. t. contractus talis assecurationis, in foro externo Ecclesiastico, præsumitur usurarius, factus scilicet ad palliandam usuram supra sortem ex mutuo accipiendi aliquid, nisi post longum jam mutuatæ pecuniæ tempus, talis assecurationis contractus primum superveniat, quo in casu nulla usura in tali assecuratione præsumi posset.) si tamen periculum sit perdendi mutui non ratione rei mutuatæ taliter periculose transferendæ, sed quòd mutuatarius sit in periculo inopiæ,

fraudentis, & non usque ad eò bonæ fidei debitor, ut merito timere possit mutuans, sortis etiam in tali casu perdendæ periculum sibi imminere, aut certe non sine multis incommodis & expensis acquirendæ, potest pro periculo sortis, aliquid per pactum assecurationis exigere ultra sortem sine usura, modò non cogatur ad hoc mutuatarius, sed ad invitationem quidem mutuantis, libere tamen & sua sponte pactum tale ineat, cum enim periculum in tali casu in se suscipere sit pretio æstimabile, consequenter nulla injuria fit, pretium in tali casu pro periculo assecurationis accipere.

## §. V.

*An in mutuo licitum sit pactum, ut mutuatarius, si tempore statuto non solverit mutuum, seneatur certam penam solvere ultra sortem?*

**R** affirmative, neque ullam in tali pœna statuendam, aut solvendam intervenit usuram (quia pœna talis ultra sortem non solvitur vi mutui, sed ob moram & culpam non soluti mutui) si tamen debitor sit in mora notabili, & culpabili, aut tempus ita breve solvendi mutui præfigatur, ut possibile non videatur, intra hoc solutionem à mutuatario expediri posse (quo in utroque casu, in fraudem videtur apposita talis pœna ad palliandum lucrum usurarium) & quod pœnæ loco exigitur, sit moderatum & culpæ proportionatum.

✽(o)✽

## §. VI.